



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1677

Titulus. XXXVII. De Pœnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)

sunt excommunicati: si Universitates, sunt interdicti, c. unic. h. t. in 6. n. 22. & 23.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQVIS.

c. 1. n. 17.	c. 7. n. 18. & seq.
c. 2. n. 13.	c. 8. n. 20.
c. 3. n. 12.	c. 9. & ult. n. 10. & duobus seqq.
c. 4. n. 14.	IN SEXTO.
c. 5. n. 15.	c. unic. n. 22. & seq.
c. 6. n. 16.	

TITVLVS XXXVII.
DE POENIS.

§. I. De pœnis in genere.

Quær. I. Quid sit pœna, & quoruplex? Resp. pœna est delictorum coercitio, seu vindicta, num. 1. Sunt autem pœnæ quædam capitales, quædam non capitales: hæc quædam corporales, quædam pecuniariæ: aliæ civiles, quæ parti læsæ applicantur, aliæ criminales, quæ ad publicam vindictam tendunt. Item alia pœna est ordinaria, alia extraordinaria, n. 2. Quær. 2. An Iudex teneatur imponere pœnam ordinariam, siue lege præscriptam, & an illam augere possit, vel minuire? Resp. tenetur ordinariam reo convicto de crimine infligere, nec potest Iudex inferior pœnam lege præscriptam excedere, neque statutam remittere, vel minuire: quamvis id possit Princeps supremus, n. 3. Delinquens toties puniendus est, quoties reiterat delictum, c. 1. h. t. n. 4.

§. II. De variis pœnis in specie, & in primis de pœna pecuniaria.

Interficiens Presbyterum puniendus est, & si pœna sit pecuniaria, pars dimidia solvenda est Ecclesiæ, cui præfuit: altera pars dimidia distribui debet in pauperes pro anima mortui, c. 2. h. t. n. 5. Secundò, Archidiaconi, & alij Prælati, qui in criminibus dispensare nequeunt, aut pœnas commutare, non possunt propter crimina pecuniam exigere, neque pœnam pecuniariam imponere, etiam correctionis causâ, si alia à jure statuta sit, c. Licet. 3. h. t. n. 6. & 7. Tertiò, victus victori condemnandus est in expensas, quando sententia profertur pro parte præsentem, in causis pecuniariis: non autem quando fertur pro parte absente, c. Calamniar. 4. h. t. n. 8. & 9. Qui justam causam habuit, non debet condemnari in expensas litis, c. 9. Iudex tenetur victum in expensas condemnare victori, si is id petijt, aliàs non, num. 10.

§. III. De pœna conventionali, siue quæ pacto, aut contractui est appositâ.

Si uterque contrahentium agat contra contractum, uterque potest exigere pœnam ad invicem promissam ex conventionem, quæ tamen, si utraque pars non servet contractum, in effectu tollitur, & pœna cû pœna compensatur, c. Constituitur. 7. h. t. n. 11. Si obligatus solvere certam quantitatem pecuniæ ad certum tempus, cum pacto, ut si non solverit tempore constituto, teneatur ad certam pœnam, si solvit majorem partem debiti, non tenetur integram pœnam solvere, sed solum pro parte debiti, quæ in termino designato non est soluta, c. Suam. 9. h. t. n. 13. & 14. Idque ex æquitate canonica, cû aliud sit de jure civili n. eod.

Tomus V.

§. IV. De pœna depositionis, & degradationis.

Clerici, qui operam dant bello (injusto) gubernando naves ad pugnam, & qui personaliter confligunt, vel alios incitant ad pugnandum, graviter peccant, ac deponendi sunt ab officio & beneficio, c. Quod in dubijs. 5. h. t. n. 15. Præterea Clerici in magnis sceleribus deprehensi debent deponi, & in Monasterium detrudi ad agendam poenitentiam, c. Tue. 6. h. t. n. 16. Describitur modus degradandi Clericos, c. 2. h. t. in 6. n. 17. & 18. Quæ sint differentia inter depositionem, seu degradationem verbalem, quæ fit per simplicem sententiam, quâ Clericus criminofus ab Ordinum ministerio, seu executione depositus declaratur: & inter degradationem actualem, per quam vestibus, & Insignibus Clericalibus actu, & solemniter verborum formulâ privatur, n. 19. Crimina, ob quæ Clericus actu degradandus est, & tradendus Curia seculari, tria sunt Jure expressa, crimen hæresis, crimen falsi commissum in Litteris Apostolicis, & crimen conspirationis in proprium Episcopum, saltem si incorrigibilitas accesserit, c. n. 19.

§. V. De pœna carceris.

Licet carcer specialiter sit inventus ad custodiam, possunt tamen confelli, vel convicti de criminibus plebæ pœnâ carceris in perpetuum, vel ad tempus, ad arbitrium, consideratis delictis, personis, & circumstantijs, c. Quamvis. 3. h. t. in 6. n. 20. & 21. Quod si testis variet, & vacillet etiam coram Papa, ideòque incarcerationetur, non fit infamis, c. Super his. 8. h. t. n. 22.

§. VI. De pœnis occidentium, vel percutientium propriam Episcopum, vel occidentium Rectorem Ecclesiæ, aut Beneficij. Item de pœna litigantis injuriam inferentis Iudici.

Quær. I. Qualiter puniendi sunt, qui occidunt, vel percutiunt proprium Episcopum, vel Rectorem, aut alium Clericū alicujus Ecclesiæ? Resp. occidentes Episcopum, seu Prælatum suum, privantur beneficijs & feudis, quæ habent ab illa Ecclesia, & nec ipsi nec eorum hæredes possunt habere illa beneficia, seu feuda, vel alia quælibet de novo, c. Ad aures. 10. h. t. n. 23. & seq. Percutiens, capiens, aut banniens Episcopum, vel hoc mandans, aut ratificans, vel si socius in his fuerit, consilium dederit, aut favorem, vel scienter defenderit, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Item Civitas in hoc delinquens, & Officiales ejus varijs pœnis puniuntur, c. Clem. 1. h. t. n. 25. Similiter Patroni, Advocati, vel Vicedomini non debent sibi in Ecclesijs, vel earum possessionibus, & bonis plus vendicare, quàm Jura permittunt, & si secus faciant, per Censuram Ecclesiasticam compescantur. Item si per se, vel per alios præsumpserint occidere Rectorem, vel aliquem Clericum ipsius Ecclesiæ, amittant Jus Patronatus, advocatiam, feudum, & Vicedominatum, beneficium, & de his nihil perveniat ad hæredes, & posteris eorum usque ad quartam generationem non admittantur in Collegio Clericorum, nec in Domibus Regularium, ac sequantur honorem alicujus prælationis, nisi cum eis fuerit dispensatum, c. In quibusdam. 11. h. t. n. 26. & 27. Porro pœna alicui imposita ab homine, vel à jure, & ejus filijs, ac posteris, usque ad quartam generationem, non extenditur ad descendentes ex linea feminina, sed tantum ex masculina, nisi aliud in

Ggg 8

jure,

